



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.  
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],  
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1553**

**VD16 B 9605**

Argvmentvm Prioris S. Petri Epistolæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35634**

## EPISTOLA

aliosq; his similes errores corrigit apostolica seueritate,  
 adhortans pios ad patientiam, mox etiam docens sancte  
 & reuerenter loquendum esse de dei prouidentia, cum  
 certum sit homines non dei uitio sed sua culpa fieri ma-  
 los. Statim autem post illa hortatur, ut positis affectibus  
 carnalioribus uita religionem ueram exprimant, non  
 uerbis, nō iactabundis de fide uocibus. Fidem enim sem-  
 per esse feracem bonorum operum, imò hanc non posse  
 esse sine bonis operibus. Ibidem docet non temere ama-  
 biendam esse docendi functionem, docet item coercen-  
 dam esse linguam, à contentionibus, auaritia circumscri-  
 bente, à pauperum oppressione atq; studio uoluptatum  
 omnino esse temperandum. Addit ad finem et alia quæ-  
 dam uitæ præcepta & sancta & salubria. Recte igitur  
 D. Erasmus censuit Iacobum in hac epistola uersari in  
 locis communibus. Nostro autem sæculo mire utilis est.  
 Laborat enim iisdem morbis quibus illud propter quod  
 D. Iacobus hanc adidit. Stilus facilis est & expositus,  
 ratio tractandi plana & pulchra.

### ARGUMENTVM PRIORIS S. PETRI EPISTOLAE.

**O**BSCURIOR paulò est prior Petri episto-  
 la non modo propter sententias reconditiores,  
 sed

sed & propter ordinem perturbatiorem asperio-  
 remque quem nos in presentiarum uel complanare, uel certe alijs  
 occasionem subministrare istud dexterius absoluendi,  
 conabimur. Consilium certum nemo (opinor) præsi- Status.  
 xisset, nisi ipse Petrus adiecisset ad finem epistolæ, Per  
 Syllanum uobis fidelem fratrem, ut arbitror, paucis  
 scripsi, adhortans ac testificans hanc esse ueram gratiam  
 dei in qua statis. Hinc enim colligimus hanc esse episto-  
 lam hortatoriam simul & expositoriam. Ita enim fide-  
 les hortatur in ea fide quam acceperant, neglectis affli-  
 ctionibus perseuerent, ut interim summarium religio-  
 nis & fidei fundamenta ubique ponat, denique & Chri-  
 stiana perstringat officia. Desultoria enim est. Persecu-  
 tio à fide uel absterrebat uel prorsus auocabat (ut fit) Patientia.  
 plurimos, potissimum ergo hortatur ad patientiam, qui  
 huius epistolæ ueluti primarius scopus est: cui protinus Fides uera.  
 attextitur alius non minus infrequens, ad confirmationem  
 tamen superioris pertinens, uerissimam esse prædicatio-  
 nem quæ de fide Christiana ipsis sit prædicata. Id ete-  
 nim hoc attextitur consilio, ne isti se frustra in causa non  
 bona pati timerent. Veritati huic adiungit pietatis syn- Innocentia.  
 ceritatem integritatemque; deflectens ad innocentiam stu-  
 dium, quo in loco non minore diligentia frequentiusque labo-  
 rat quam in superioribus. Maximas enim partes & pri-  
 mi & secundi capituli huic impendit, adhortans ut uitam

EPISTOLA

uiuunt sanctam & sua uocatione dignam. Hæc autem omnia generatim prosequitur. Absoluta uero fide & uitæ innocentia, quæ uera pietatis summa est, speciatim pertractat Christiana quædam eaq; apprime necessaria officia, docēs quid debeamus magistratui, legibus, quid deceat seruos, quid coniugatos: breuiter Christi exemplo ad maximas quasq; uirtutes potissimum uero ad patientiam & innocentiam uitæ animat, ubiq; amolens quod impedire, & adiuuens quod promouere ad hæc poterat, idq; agit à fine secundi capituli, per tertium & initia quarti. Nam sub finem huius miro ardore miracq; euidentia tolerantia suadens afflictiones attenuat. In 5. autē ad officiorū institutionē rediēs, instituit episcopos, hortaturq; ad humilitatē animi & accuratam uigiliam. In summa, Varia est epistola, & ueluti locus luxurians communibus; in quibus tamen primas tenent, fidei in Christum ueritas, uitæ innocentia (sub qua recensentur uaria officia) sanctaq; tolerantia. Maxima ergo ex hæc expectes licebit, quæ fidei Christianæ uis et ueritas, quæ uera religio, quæ ueræ fidei opera, quæ Christianorum officia, quæ patientiæ dignitas: & cætera.

Officia.

Cruce & afflictio.

Dictio.

Erudita uero est, & profecto digna (ut Erasmus ait) apostolorum principe, plena authoritatis ac maiestatis apostolicæ, uerbis quidē parca, sententijs uero differta. Scriptam aiunt è Babylone per Syluanum.

ARGV